Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Arzneibuch - Kl. L. 28

[Lichtenthal], [Anfang 16. Jahrh.]

Rückdeckel

urn:nbn:de:bsz:31-93726

Visual Library

BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

eos piis seculis: redemptum a
deo deo nostro. Lc. b. pa. ad ty.

Karissime. Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri dei. Non ex operibus iustitie que fecimus nos. sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti. quem effudit in nobis habunde per ihesum christum salvatorem nostrum. ut iustificati gratia ipsius. heredes simus secundum spem vite eterne. in christo ihesu domino nostro. Gr.

Benedictus qui venit in nomine domini. deus dominus et illuxit nobis. V. A domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. All. V. Dominus regnavit decorem induit. induit dominus fortitudinem et precinxit se virtute. Secundum lucam.

In illo tempore. Pastores loquebantur ad invicem. Transeamus usque bethleem. et videamus hoc verbum quod factum est. quod fecit dominus et ostendit nobis. Et venerunt festinantes. et invenerunt mariam et ioseph. et infantem positum in presepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt et de his que dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hec. conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes deum in omnibus que audierant et viderant. sicut dictum est ad illos. Credo in unum. Off.

Deus enim firmavit orbem terre qui non commovebitur. parata sedes tua deus extunc. a seculo tu es.

Munera nostra quesumus domine. Secret. nativitatis hodierne mysteriis apta proveniant. ut sicut homo genitus idem refulsit deus. sic nobis hec terrena substantia conferat quod divinum est. Per eundem. Sec. de sancta anastasia.

Accipe quesumus domine munera dignanter oblata. et beate Anastasie suffragantibus meritis. ad nostre sa-